



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ad Matutinas. Exercit. 83.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

eum perfectius laudare possimus.

A D M A T V T I N A S.

Exercitium 83

Matth. 26. *Vigilate & orate vt non intretis  
intentionem.*

Ioan. 18. *Iudas cum accepisset cohortem, &  
à Pontificibus & Phariseis ministros, ve-  
nit cum laternis & facibus & armis.*

Ibid. *Cohors & tribunus & ministri Iudaeo-  
rum comprehenderunt Iesum & ligauerunt  
eum & adduxerunt eum ad Annam pri-  
mum Et misit eum Annas ligatum ad Ca-  
ipham Pontificem.*

*Consideratio.*

**C**ONSIDERABIMUS, Christum Re-  
demptorem nostrum nocte pas-  
sionis suae ad hortum Gethsemani cū  
discipulis suis exiuisse: vbi tertio Pa-  
trem orauit, atq; factus in agonia san-  
guinem sudauit. Præterea Iudam cū  
militibus armatis ad cōprehenden-  
dum Iesum venisse, quem ligatum ad  
Annam, & ab Anna ad Caiphā per-  
duxerunt, vbi plurima passus est.

*Gratiarum actio.*

**G**RATIAS agemus Deo, pro omnib.  
quæ illa nocte passus est; & pro

Beneficio creatiōis, quo nos è tenebris & ex abyſſo profundiffima nihili noſtri eductos, eſſe nobis dedit, atq; ad imaginem & ſimilitudinem luam condidit.

*Confuſio.*

**P**Vdore ſuffundemur, conſiderando quod peccata noſtra paſſionis Chriſti cauſam prebuerint, quodq; nos relicta luce, hoc eſt, Deo, tenebras peccatorum noſtrorum potius amauerimus, atque ſeruos principis tenebrarum, hoc eſt, diaboli nos conſtituerimus.

*Petitio.*

**R**Ogabimus Deum, vt augeat in nobis virtutem fidei, per quam à tenebris errorum liberati, lux veræ cognitionis Dei nobis confertur, quæ nobis luminis loco eſt, in tenebris huius vitæ, vbi eum clarè videre non poſſumus.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo hanc horam quæ perſoluimus, coniungendo noſtras laudes cū illis laudibus, quib; angeli & ſancti eū. in cœliſcō celebrant.